

Fabula indicat, apud bonos fraudes & scelera improborum nocere usurpantibus.

De Semicano & Uxoribus illius.

Habuisse quendam duas uxores narrant in etate virili tendente ad senectutem, quâ canis conservari caput incipit, idque hominum genus nomen habet μιξοπολίων apud Græcos. Mulierem autem fuisse natu grandiusculam unam, alteram juvenculam. Huic autem illam nigellos, hanc albicantes crines evellere consuevisse ferunt, donec relinquetur calvaria nudata capillis.

Fabula detrimenta inæqualium conjunctio-
num demonstrat. Notus autem est jocus Augu-
sti, qui cum deprehendisset, curare sibi filiam ab
ornatricibus evelli canos, interrogasse illam di-
citur, post aliquot annos canâne an calva esse
mallet? Cùm autem respondisset illa, se malle
canam esse quam calvam, Quare ergo, inquit,
istæ te calvam fieri student?

De Arbore & Cuneis.

Quidam cùm arborem in silvâ quâdam cecidisset,
ut findere melius posset, de ipsâ arbore cuneos pa-
rabat. Tunc ingemiscentem arborem dixisse accepimus,
se non de securis vi tantopere conqueri, quantopvre de in-
juriâ earum partium, quæ de corpore suo demptæ essent.

Fabula ostendit, quod nostri nobis sæpe sint
infestiores, quam alieni.

Jupi-